

Quarto de actis post huius modi translacionem circa eadem bona sciendum, quod postea bone memorie Frederico fratre meo defuncto et expensis per eum et pro exequiis suis et sua ultima voluntate persolutis fuit tertia pars domini, de qua superius est expressum, de redditibus dictorum bonorum salinarium reempta pro trecentis marcis Luneborgensium denariorum et quia dudum bone memorie Hermannus Huot frater meus vendidit Amelungho de Traven unum chorum salis in salina Luneborgensi in expressis dominiis suis in salina, hoc adiecto in vendicione, quod, quando idem Hermannus vel heredes sui alium chorum salis in eadem salina habenti predictum chorum salis comparaverit, cessaret chorus predictus in dominiis prefatis. Et quia chorus predictus ad monasterium in Hilghendal ¹⁾ pervenit ideo pro reempcione illius fuerunt persolute quingente marce et viginti quinque marce denariorum Luneborgensium preposito priori et conventui in Hilghendal non empto pro conventu predicto per me seu meo nomine alio choro sed ipsis quingentis et viginti quinque marcis pro alia conventus ipsius utilitate per ipsum conventum, receptis sollempnitatibus ut creditur consuetis, sed ut timetur non omnibus iure expressis observatis, propter quod non est michi omnino clarum predictam reempcionem omnimoda perfectione validam, exsolucio autem dictarum quingentarum et viginti quinque marcarum facta fuit de redditibus bonorum salinarium predictorum.

Quinto post predicta de novo in casu quo translacio per bone memorie Fredericum fratrem meum et me facta in ecclesiam Hildensemensem non esset valida et in casu quo de necessitate salutis teneor facio aliam translacionem, de qua continetur in litera illam translacionem concernente.

Ultimo in summa attendendum, quod in translacione

¹⁾ Heiligenthal.